



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XVII. de raptor. incend. &.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

aut non impedivit, quin ægrè opulentè nuheret, ad nihil tenetur stuprator.

Idem *lib. 5. cap. 3. dub. 3.* Luxuria habet filias ex parte intellectus 4. *Cecitatem mentis, præcipitationem; inconsiderationem; inconstantiam.* & 4. ex parte voluntatis: *Amorem sui; Odium DEI, Affectum præsentis sæculi, Honorè futuri*

Idem *dub. 4.* Recenset filius invidiæ; odium, detractionem, gaudium in malis proximi, iustificationem; differt ab *emulatione & zelo*, ubi quis dolet, quòd sibi desit illud bonum, & ab *indignatione*, ubi quis dolet, quòd alter eo bono indignus &c.

Optans se non fuissenatum &c. vel diem esse maledictum, si tantum intendat maledicere creaturæ irrationali v. g. diei, est tantum veniale; aliquando nullum ut Job. si autem directè attendat optare malum homini sive sibi, sive alteri, est mortale.

Ad num. 5. Observa. Si agatur ad separationem quoad thorum, quòd agatur civiliter, tamen *cap. 5. de procurat.* dicat hanc accusationem esse mixtam inter civilem & criminalem, ut in ea per præsentiam principalium personarum securius procedatur.

Ad num. 13. Observa ex *Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 6. n. 9.* ubi ait quasdam actiones ab objecto suo ita malas esse, ut malitia separabilis non sit, v. g. *DEUM* odisse, mentiri (quo refertur adulterari) quasdam malas esse, & contra jus naturale, quæ tamen cohonestari possunt, si talium exercendarum jus conferatur ab eo, qui potestatem habet, v. g. furtum, si Dominus consentiat, vel consentire debeat; Occisio innocentis,

si *DEUS*, qui est Dominus humanæ vitæ consentiat.

Ad num. 14. Observa, quòd *Oseas* Propheta publicus iussus fuerit accedere ad mulierem fornicariam, & cum ea actum habuerit, non tamen fornicarium, sed conjugalè; agnovit enim ex revelatione Divina, quòd sibi daretur in uxore, cui ipsa consentire debuit.

A D T I T. XVII.

De Raptoribus, Incendiariis & violatoribus Ecclesiarum.

Observa ex *Busenb. lib. 3. tr. 4. cap. 2. dub. 2.* Si quis consentientem abducat, non est propriè raptus, sed fuga, non addens malitiam, distinctam à fornicatione. Raptores seu detentores rerum Ecclesiasticarum coram utroque Judice tam Ecclesiastico, quàm sæculari conveniri possunt. *Gonz. c. cum sit generale 8. de foro compet.*

Ad nu. 2. in fine addde. Ex *Sann. tom. 3. dist. ultim. q. 7. n. 14.* qui ait, quòd jure antiquo raptus non dirimebat matrimonium, ita ut potuerit famina, metu & violentia cessante etiam non restituta loco tuto, contrahere matrimonium per *cap. fin. h. 2. & n. 55.* Si mulier rapiat virum, non dirimitur matrimonium, ut tenet communis: quia *Tridentinum* de viro loquitur, & est lex odiosa.

A D T I T. XVIII.

De furtis.

Observa ex *Busenb. lib. 5. c. 3. dub. 2.* Avaritia est inordinatus appetitus temporalium. Filius habet. 1. *Obduratorem cordis* contra egentes. 2. *Inquietudinem*